
MVSÆ SOMERENSES:

Id est,


Sacræ Historiæ series, à Mundi Creatione, ad Linguarum confusionem Poeticè deducta;

Authore GEORGIO STIRK, *sacri Evangelii in Somerensibus Insulis Ministro.*

Ad usum Scholæ, quam illic, ante annos duos instituere cœpit illustrissima Societas.



LONDINI,
Excusum per *E. P.* 1635.



ILLVSTRISSIMÆ & Nobilissimæ Societati Somerensi, dominis suis summa observantia colendis.



Vperioribus sæculis (illustrissimi & amplissimi viri) occidentalis India adeò erat incognita, ut Ptolomæus ultra Herculis columnas (quæ in Gadibus *erant) nullam esse terram putaverit. Nunc verò postremo hoc mun-*

di senescentis ævo, novum orbem, veteri non minorem deus aperuit. Non ut preciosas merces negotiatores hinc aveherent, avectis ditescerent: nec ut novis colonis sit habitandi locus. Nam neque tanti sunt merces illæ, ut ad eas effundendas terra tamdiu ignota patefieret: neq; Europæis, in suis regionibus deest habitatio satis ampla. Sed majus quid divina spectat clementia. Promisit olim Deus filio suo se mundi fines daturum. Nunc præstat, quod olim dixit. Quare piè faciunt qui magnum hoc opus maximè curant, ut ipsorum opera Scripturæ impleantur; barbari convertantur, & Regni Christi pomæria latiùs dilatentur. Et vos (honoranda societas) opus Deo gratum, & vestra dignum pietate fecistis, cum de schola in vestris insulis instituenda legem tulistis, & ad ludimagistrum alendum agri aliquot

Psal. 2. 8.

quot


quot jugera consecrâstis. Hæc via est ad barbaros convertendos rectissima. Nam in schola Somerensi non solùm liberi nostri (quorum illic numerus est, pro insulæ amplitudine non parvus) sed etiam Americani institui possunt, idque tutò: ubi nullus est hostium metus, qui à studiis absterreat: sed pax tranquilla quæ musis semper amica est. Nullum erit cum suis popularibus commercium, qui à discendo dissuadeant, aut patriis superstitionibus corrumpant, aut ad transfugiendum alliciant. Quanti autem momenti sit Americanorum uti opera ad suos convertendos non opus est dicere. Cum ergo tantum hinc ad evangelium propagandum emolumenti pro veniat, vos (spero) qui operis tam pii, ante annos duos fundamenta fæliciter jecistis, idem ad dei gloriam ad exitum perducetis. Qua spe inductus, poesin hanc,

quam in insulis vestris horis succisivis scripsit, scholæ vestræ, quæ vestris jam surgit, & brevi (spero) florebit auspiciis, sub vestri nominis umbra, & tutela, dicat consecratque.

Vester humillimus in Domino servus,

Georgius Stirk.

HISTO-



HISTORIÆ SACRÆ
LIBER VNUS.

SAcra salutiferi resero mysteria verbi, *Exordium.*
 Et rectam ad cœli limina, monstro viam.
Te cano, summe Pater, teq; ô dulcissime Fili,
 Teq; simul numeris, Spiritus alme, piis.
Vos (precor) audacem salebras per, & invia musam
 Ducite, quà rarum semita pandit iter.
Ante Chaoq; primum, cum nondum machina cœli *De Deo uno.*
 Facta erat, aut tellus, Angelicive Chori,
Vnus erat, nullo compræhensus limite, solus
 Fine carens omni, principioque, Deus:
Se solo contentus, & omni à parte beatus,
 Et nunquam solus, cum tamen unus erat.
Vna etenim quamvis deitas sit, & una potestas, *De Trinitate,*
 Trinum indiviso in numine, numen inest.
Namq; Pater Deus est, Deus est quoq; Filius idem, *Patre,*
 Atque idem Sanctus Spiritus ipse Deus.
Principium Pater est deitatis, & ordine primus,
 Hinc genitus magni Natus imago patris. *Filio,*
Vna Patri Natoque fuit substantia, & ætas
 (Si qua Deo est ætas) una duobus erat.
Semper & ille Pater, semper quoque Filius ille,
 Nec Pater anterior, nec minor alter erat.
A Patre & nato pariter spirabile manat *& S. Sancto.*
 Numen, ab Officio qui sibi nomen habet.
Corporis humani cunctos ut spiritus artus *S. S. per totum Christi corpus diffunditur.*
 Vnus agit, molem spens regit una suam,

Sic

Sic Christi in magno miscetur corpore sanctus
Spiritus, atque animæ sustinet ille vicem.
Inspiratque fidem, & cunctis virtutibus ornat,
Atque omnes sanctos Spiritus unus agit.
Spiritus est igitur, sanctos quia spirat in omnes,
Et sanctus quoniam sanctificare solet.

Patri & Filio æqualis est.

Consimilis patri est, natoque, coævus utrique,
Nec nato inferior, nec genitore minor.

Procedendi & generandi modus intelligi nequit.

Vis procedendi, & generandi noscere formam?
Altius humanis viribus illud opus.
Solis ut humanos radius, præstringit ocellos,
Et fulgore suo lumina cæca facit,
Sic majestatem si quis comprendere gestit,
Obruet hunc radiis gloria tanta suis.

Deus ab æterno beatus fuit.

Illi, infinitis ante omnia secula seclis,
Cum nihil, immensum preter inane, foret,
Gaudia semper erant, semper sincera voluptas,
Qualem nulla hominum lingua referre potest.
Si verò immensum queras quibus actibus ævum
Transigeret, tanto quid faceret spacio;
Hipponis presul, contra quid rettulit audi
Cum fuit hæc sancto questio facta seni,
Talibus infernum perscrutatoribus ignem
Fingebat judex, sulphureosque Lacus,
Vt tumidam tandem discant compescere linguam,
Atque intra metas se cohibere suas.
Vt brutum humanos animal comprendere mores,
Humana careat cum ratione, nequit:
Sic humana nequit ratio transcendere cœlum,
Metiri immensum nec potis illa Deum.

Omnes personæ mundum creant.

Consiliis tandem placuit communibus orbem
Condere, quem cernis, qui fuit antè Nihil.
Cognita ut in toto Domini sit gloria mundo,
Et sint qui poterint concelebrare Deum.
Vtque creaturæ domini bonitate fruantur,
Et videant largas omnipotentis opes.

Hoc incępit opus divina potentia Patris,
Cunctaq; per Verbum fecerat ille suum.
Filius hoc Verbū est, quod prima in origini mundi
Dixit, cum magnum conderet author opus.
Huic sua nunc quæcunq; vides, exordia debent,
Quicquid habet tellus, quicquid & astra tenent.
Omnia ab hoc Verbo sunt omnipotente creata,
Absq; illo factum, nunc quod in orbe, nihil.
Tertia se pariter junxit persona duabus,
Atq; simul junctis viribus urget opus.
Ergo Pater jussit fieri terramq; , polumq; ,
Atq; undas, ripis que carvere suis.
Quod jussit, Verbi divino numine factum est,
Inq; suis steterant queq; elementa Locis.
At Chaos, & rerum rudis indigestaq; moles,
Nulla unquam, quamvis Naso reclamet, erat.
Sed pariter cœliq; orbes, & pontus, & aer,
Et fuerat primo condita terra die.
Omnia abyssus erant: Latitabat in æquore tellus,
Sidera in excelso nulla fuere polo.
Tum lucem è densis jussit fulgere tenebris,
Iussit, & extemplò lux ea facta micat.
Hic est ille dies quo facta est regia cœli,
Quæ domus est cunctis post sua fata bonis.
Gloria ubi tanta est, ut nec comprændere possit
Mens hominum, aut fari lingua diserta queat.
Hanc sermone potens describere Paule nequibas,
Quanquam illuc (nescis quomodo) raptus eras.
Hic etiam Angelicis dederat primordia turmis,
Quorum ingens numerus, gloria magna fuit.
In quibus unus erat, nulli splendore secundus,
Nullo, fœlici conditione minor;
Quem dedit è summo ventosa superbia cœlo
Precipitem, tristes ad Phlegetontis aquas.
Millia multa trahens secum delapsus ab alto est,
Crimine qui similes suppicioq; pares.

Pater per Verbū mundum creavit.

Filius Verbum Patris est.

S. S. cum Patre et filio mundum creavit.

I. DIES.

Cœlum, mare, terra, & aer creantur.

Nullum erat Chaos.

Lux creatur.

Et cœlum Beatorum.

Angeli creantur.

Lapsus Angelorum, qui nunc diaboli.

Circum-

Circumeunt totum multis legionibus orbem,
Vt quoscunq; queunt, in sua fata trahant.
At Pater omnipotens vinclis & carcere frenat
Dæmonas, & servos servat ubiq; suos.

Angelorum qui persliterunt, gloria.

Cætera spirituum mansit sine crimine turba,
Atq; immota ipsis gloria prima manet.
Ante thronum stantes, sacro modulamine semper
Tres una sanctos in Deitate canunt.
Illius à nutu pendent, & jussa capessunt,
Circa credentes & sua castra locant.

II. Dies.
Nubes creantur.
Et expansum.

Inde pater densas suspendit in aere nubes,
Fulmen ubi & pluvias, cum nive, clausit aquas.
Ast infra, per quam vivunt hominesq; feręq;,
Alituumq; genus, purior aura volat.
Expansum Scriptura vocat, quod separat undas

III. Dies.
Congregantur aquæ, apparet terra.

Quæ supra pendent, inferiusq; fluunt.
Tum solidam liquidis terram divisit ab undis,
Et multo nudam germine vestit humum.
Indidit & vasto radiantia sidera cœlo,

IIII. Dies.
Stellæ creantur.

Vt numerent gyris tempora longa suis.
Iusserat & tremulas pisces natitare per undas,

V. Dies.
Pisces & volucres.

Perq; errare vagas aera jussit aves.
Multaq; diversis per terram animalia formis
Fecit, quadrupedum reptiliumq; genus.

VI. Dies.
Bruta animalia, & tandem homo creatur.

Tandem factus homo est. Vili de pulvere corpus,
Materies animæ pręvia nulla fuit.
At Deus è nihilo mentem inspirando creavit,
Cum staret vitæ corpus inane suæ.
Totus homo sanctus, dominoq; simillimus ipsi,
Sanctus mente fuit, corpore sanctus erat.

Nomina brutis dedit.

Ille, jubente Deo, cunctis sua nomina brutis
Indidit, & nomen quod dedit, illud erat.
Nempe creaturæ vimq; ingeniumq; tenebat,
Aptaq; naturæ nomina cuiq; dedit.

Omnium rerum Dominus fuit.

Huic rerum domino jussæ parere volucres,
Et terrę pecudes, squamigeriq; greges.

Nam

Namque vices domini toto super orbe gerebat,
Per terram, & liquidas quas mare volvit, aquas.
Cumque Deo visum est (ne cœlebs degeret ævum)
Assimilem sancto consociare viro. *Eva creatur.*
Adamo placidum induxit per membra soporem,
Atque illi ex costæ condidit osse, parem.
Ille suam sponsam (quamvis monitore careret) *Adamus eam agnovit.*
Noverat, & carnem dixerat esse suam.
Agnovitque etiam sumptæ mysteria costæ,
Chara suo debet sponsa quòd esse viro.
Tota utrique data est tellus dominanda, sed hortus *In Edene habitant.*
Edenis melior pars ditionis erat.
Hic fuit in toto quod dulce vel utile mundo,
Huc Deus omnigenas accumulavit opes.
Arbor ibi fuerat, vitæ quæ nomen habebat,
Ac vitæ æternæ tessera certa fuit.
O quàm fœlices ambo, bona si sua nôssent,
Vivere si semper sic licuisset, erant.
Sed vicit Satanæ dolus, ac levis ambitus urget, *Lapsus hominis.*
Falleret incautum ut fœmina lusa virum.
Indoluit fatis hominem melioribus uti,
Ipse quibus caruit, spiritus ille malus.
Ergo novas artes subitò molitur, & anguem
Ingreditur, falsis quæ fuit apta dolis.
Multaque de domino fingens mendacia, dixit
Fœlices ultra, si libet, esse licet.
Si vetitum libeat tantùm decerpere pomum,
Vos eritis Domino cognitione pares.
Hoc vidit Deus, ac vetat illum tangere fructum,
Nam tacitò vestris invidet ille bonis.
Credita res ambobus erat, ac crescere honores
Consilium illius posse sequendo, putant.
Ergo interdictum decerpitur arbore pomum, *Fructum vetitum comedunt.*
Et comedunt diras fœmina virque dapes.
Hinc est prima mali labes, hinc venit in omnes
E gente humana mortis origo satos.

Nam

Nam Pater omnipotens justas exarsit in iras,
Et justa est ambos pæna secuta reos.

Puduit hominum nuditatis suæ.

Pœna pudor prima est; nudis velamina membri[s]
Quærunt, & foliis membra pudenda tegunt.
Innocuam donec vitam coluere parentes,
Nulla verecundi causa pudoris erat.
At postquam innocuam macularunt crimine vi[tam]
Corporis impuri transiit omne decus. (tu

Dei voce audita tremit.

Pœna sequens timor est, pulchrũ cum venit in h[ortum]
Omnipotens, ejus voce sonante tremunt,

excusant se, sed frustra.

Educti è latebris sese excusare laborant,
Vir sociam, colubri culpat at illa dolum:
Nil refert solusne, alione authore rebelles,
Namq; eadem junctos crimine pœna manet.

Pœna mulieris.

Sentiet horrendos mulier paritura dolores;
Atq; viri imperium tempus in omne feret.

Pœna utriusq;.

Vir mulierq; simul multo sudore parabunt,
Quos ægrè reddet terra subacta, cibos.
Post ærumnosæ tempus lachrymabile vitæ,
Mors feret ad putrem putre cadaver humum.
Mox rapiet miseros ad tristia Tartara manes,
Sulphureisque dabit membra cremanda rogis.
Hęc sceleris pœna, hęc sententia judicis ęqui,
Debuit hanc soboles cum genitore pati.

Ejusdem criminis & pœnæ rei sunt posteri.

Hancque luissemus cuncti, nisi gratia patris
Succurrens, miseris sponte tulisset opem.
Crimine nos etenim natura involvit eodem,
Ejusdem sceleris fecit origo reos.
Omnes in Lumbis veteris fueramus Adami,
At purum impurus quî generare potest?

Sed nos Deus per Christum, ab æterno supplicio liberavit.

At Pater omnipotens, cum jam spes nulla refulsit,
Solamen nostris attulit ipse ~~notis~~ malis
Ille misertus ait, muliebri è semine Christum,
Vestrum emundabit qui scelus omne, dabo.
Devincet sævum crudeli Marte Draconem,
Pestiferumque ejus conteret ille caput.

Illiusque ferus calcem cum læserit hostis,
Calce cruentato victor abibit ovans.
Ille genus redimet pretioso sanguine vestrum,
Illius in sævo funere, vestra salus.
Dixit, & his dictis mærentes excitat ambos,
Et blando miseros leniit ore reos.
Atque metu posito, jussit sperare salutem,
Desperata illis quę modò prorsus erat.
At non corporeas eadem clementia pœnas
Sustulit, hęc nobis damna luenda manent.
Mors etenim in lucro est, per morté intratur Olym-
Ad cœlos pandunt ultima fata viam. (pus;
Ac mala cuncta juvant, & castigatio fiunt,
Splendeat ut virtus, eniteatque fides.
Ergo illos pulchro lugentes expulit horto,
Nudaque pellicea corpora veste tegit.
Neve iterum redeant, vitæque ex arbore fructum
Carpant, angelico muniit ense viam.
Illa fuit signum primævi fœderis arbor,
Per quam conditio mortis adempta fuit.
At scelere humano nunc tandem fœdere rupto,
Perdiderant usum prisca sigilla suum.
Longè alia electis vitę nunc arbor habenda est,
Ac supra in cœlis nunc Paradisus erit.
Postquam res hominum Satanas evertit, & ambos
Ex horto in sedes compulit ire, novas.
Illis cura fuit cœlestem quęrere vitam,
Quasque hosti nullum jus sit adire, domos.
Propterea in Christum vera pietate recumbunt,
Inque illo certam spem posuere patres.
Amplexique simul venturi symbola Christi,
Fortiter hostilem vimque dolumque ferunt.
Quodque olim, propria nixi virtute, nequibant,
Per Christum Satanæ victor uterque fuit.
Fœlices nimiùm si patrum exempla secuti
Quęsisset soboles gaudia vera poli,

Corporeæ tamen manent pœnæ.

Adamus & Eva ex horto ejiciuntur.

Angelus ante arborem vitæ gladio armatus statuitur.

Adamus & Eva in Christum credunt.

Sed posteri à Deo deficiunt.

Impia sed recto proles se tramite flexit,
Cœlestes vano pectore sprevit opes.
Cura iis major erat celsas attollere moles
Vrbibus, & tutis ponere tecta locis.
Atque suis ingens nomen sibi quærere factis,
Vt famam extendant tempus in omne suam.

Profani erant, & crudeles.

Interea despecta jacet pietasque, fidesque,
Ludibrium virtus utraque facta fuit.
Despexisse leve est. Vltra furor impius ivit,
Fraterno frater sanguine tinxit humum.
Quis bigamum credat sanctorum à cęde Lamechum
Crudeles nimiùm continuisse manus?
Si sacra historiam scripsisset pagina plenam,
Plurima sanctorum tristia fata legas.
Hæc mala dum multi trepidant, in castra potentum
Credibile est multos transiliisse metu.

Pauci erant fideles, & sancti.

Crevit in immensum numerosa potentia sævi
Hostis, erat sancti copia rara gregis.

Aliqui tamen sancti erant.

Non tamen usq; adeò terras despecta reliquit
Relligio, ut nullo fixerit orbe pedem.
Maxima pars hominū quamvis ad Tartara tendat,
Membra tamen Christi non peritura manent.
Pro Christo stabant conjuncti fœdere patres,
Vnde suum Christus duxerat ipse genus.
Quorū inscripta sacris memorātur nomina chartis,
Vt priùs in cœli scripta fuere libris.

Qui Deum purè colebant.

Hi dominum (à reliquis disjuncti) in vota vocabant,
Sacra dabant puris ritè cremanda focis.

Nec deerant iis Prophetæ.

Nec caruit multis sanctorum turba prophetis,
Non etenim vates solus Enochus erat.

Ad eos confirmandos, translatus fuit Enochus.

Ac Deus ut doceat cælestia quærere sanctos,
Ne quis in hac misera spem sibi ponat humo,
Post tria sæcla pium ad cœlos evexit Enochum,
Vivus ad æthereas transiit ille domos.
Et puto non paucis spectantibus intrat Olympum;
Fulsit enim oppressam transitus ille fidem.

Flammeus in cœlum raperet cum curras Eliam,
Admirandi operis testis Elisha fuit.
Atq; Prophetarum (quos spiritus ante monebat)
Hujus erat facti pręscia tota domus.
Causa eadem cur hæc ecclesia tota videret,
(Aut saltem multi) tempore utroq; subest.
Temporibus Thisbita tuis dum regnat Ahabus,
Nullus erat verę relligionis honos.
Tempore Enoche tuo toto grassatur in orbe,
Et furit in sanctos vis scelerata viros.
Ergo sanctorum ne spes afflicta labascat,
Transitus hic multis conspiciendus erat.
Non tamen hæc seros sic erudiere nepotes,
Facta, nec officio continuere suo,
Serior à domino quin sic deflexerit ætas,
Vt sanctum caperent unica tecta gregem.
Causa libido fuit; forma pręcellere pulchras
Cainidas Sethi dia propago videt.
Vidit, & incaluit, miseraq; cupidine ducta
Auspiciis junxit fœdera sancta malis.
Inde ruina sequens hominum: corrupta, parentes
Moribus impuris tota propago refert.
Regnat ubiq; nefas, undabat sanguine tellus,
Victa cadit sanctâ cum pietate, fides.
Viderat omnipotens hęc prodigiosa gigantum,
Et longo patiens tempore facta tulit.
Bis duo bisq; decem numerabat lustra prophetes,
Dum struit undivagam sedula turba ratem.
Interea miserum hortatur resipiscere mundum,
Nec procul ultricem clamat abesse diem.
Sed pia verba, pius nil proficientia vates
Perdidit, in rapidos cuncta abiere Notos.
Ergo Deus justam non ultra distulit iram,
Fluctibus humanum stat resecare genus.
Venit summa dies, picea caligine cœlum
Conditur, & totum nox rapit atra diem.

Posteri tamen gravius deficiu[nt]

Filii Dei, fili[ae] hominum uxores ducunt.

Vnde impia na[s]citur soboles.

Hortatur Noah ut resipiscerent.

Diluvii descriptio.

Concutiunt trepidum violenta tonitrua mundum,
Tristia per liquidum fulgura inane volant,
Per terram rapidi, resolutis nubibus imbres,
Et mare conscenso littore, volvit aquas.
Vix rari apparent montes in gurgite vasto,
Mox etiam montes vicerat unda tumens.
Omnia pontus erat. Nullo discrimine cuncti,
Per terram pariter fœmina virq; cadunt.
Cumq; illis pariter volucres, pecudesq; feręque,
Quicquid & in terris dædala pascit humus.
Ipsa mali meruere nihil: sed in omnibus unus,
Hac castigatur clade rebellis homo.
Omnia ut humanos sunt facta animalia in usus,
Omnia cum domino sic periere suo.
nfantes iustè *stulit Deus.* At si fortè roges, meruit quid parvulus infans,
Cur miseram parvis intulit unda necem?
Quia peccati ori- *nalis rei sunt.* A prima infantes invasit origine labes
Nativa, & mortis fecerat esse reos.
Tota intus natura illis corrupta, nec ullam
Primigenæ micam simplicitatis habent.
Sive anima in corpus virus diffudit acerbum,
Sive ea, polluto à corpore crimen habet.
Sive (quod est vero propius) corrupit utrumque
Nascendi lex, & tristis origo simul.
Noah cum suis *rvatur.* Non tamen omnipotens sic irę effudit habenas,
Vt genus humanum funditus omne ruat.
Sed sanctum triplici servat cum prole Noachum,
Et quas connubii fœdere junxit amor.
rcæ illos inclu- *t Deus.* Illos omnipotens parva conclusit in arca,
Vnde iterum terras gens recidiva colat.
Cumq; illis pariter volucres, pecudesq;, ferasque,
Vt repleant totum sicut & ante, solum.
ntegrum per *nnum in arca* *gunt.* Et jam signiferum Phœbus peragraverat orbem,
Ac semel obliquas itq; reditq; vias.
Dum latet inq; cavis degit compagibus arcę
Gens ea quam domini cura benigna fovet.

Tandem

Tandem voce Dei (qui sacrum intrare jubebat
Robur) ab obscuro carcere jussa fugit.
Rursus & in vacuas venit novus incola terras,
Vnde recens miseros unda revulsit avos.
Sacra Noæ placuere Deo, facilique rogantûm
Omnipotens hominum concipit aure preces.
Multaque dilecto dederat mandata Prophetæ,
Factaque per Christum fœdera prisca novat.
Induit antiquum tellus renovata nitorem,
Alma Ceres flavis messibus arva replet.
Vtque metu vacuę degant per sęcula gentes,
Multicolor pluvias comprimit Iris aquas.
Ac nova progenies non immemor ante-malorum
Relligionis amans ad breve tempus erat.
Cuncta piis passim fumant altaria donis,
Grexque pius sanctas fundit ubique preces.
Ardentique animo populi loca sacra frequentant,
Ac totus vatum pendet ab ore Chorus.
Displicet hęc Satanę facies pulcherrima rerum,
Insidiasque nova callidus arte struit.
Successere doli, veterumque exempla parentum
Cernere in impura posteritate licet.
Cham patrem irrisit nudą tellure jacentem,
Cum fuerant nimio membrą soluta mero.
Insanam mundus conspirat tollere molem,
Vt suus æterno tempore duret honos.
Aç si fata sinant, rerum quę frena gubernet,
Olim totius quę caput orbis erit.
At Pater omnipotens hęc impia facta perosus,
Inceptum ambigua voce diremit opus.
Vnus erat sermo cunctis, vox una per orbem,
Ac nulli alterius vox peregrina fuit.
At nunç insanis dum condunt molibus arcem,
Omnes consuetos dedidicere sonos.
Proque suis alios, cunctis mirantibus edunt,
Notaque quę nuper, barbara verba vocant.

Tandem Deo [...] bente egressi [...]

Noah Deo pl[...] cuit.

Renovatur fœ[...] dus.

Tellus fructu[...] abundè profer[...]

Arcus cœlesti[...]

Novas insidia[...] struit Diabolu[...]

Cham patrem irridet.

Turrim Babel condere moliun[...] tur.

Linguæ confun- duntur.

Ab opere incœpto desistunt.

Concutiunt trepidum violenta tonitrua mundumq;
Tristia per liquidum fulgura inane volant,
Per terram rapidi, resolutis nubibus imbres,
Et [illegible]
Vix [illegible]

...nfantes justè ...stulit Deus. Quia peccati or... ...ualis rei sunt.

Sive (quod est vero propius) corrupit utrumque,
Nascendi lex, & tristis origo simul.

Noah cum suis ...rvatur.

Non tamen omnipotens sic iræ effudit habenas,
Vt genus humanum funditus omne ruat.
Sed sanctum triplici servat cum prole Noachum,
Et quas connubii fœdere junxit amor.

...rcæ illos inclu... Deus.

Illos omnipotens parva conclusit in arca,
Vnde iterum terras gens recidiva colat.
Cumq; illis pariter volucres, pecudesq; , ferasque,
Vt repleant totum sicut & ante, solum.

Integrum per annum in arca ...gunt.

Et jam signiferum Phœbus peragraverat orbem,
Ac semel obliquas itq; reditq; vias.
Dum latet inq; cavis degit compagibus arcæ
Gens ea quam domini cura benigna fovet.

Tandem

Tandem voce Dei (qui sacrum intrare jubebat
Robur) ab obscuro carcere jussa fugit.
Rursus & in vacuas venit novus incola terras,
[illegible] os unda revulsit avos.
[illegible] ucilique rogantûm
[illegible] cipit aure preces.
[illegible] andata Prophetæ,
[illegible] edera prisca novat.
[illegible] ovata nitorem,
[illegible] us arva replet.
[illegible] per secula gentes,
[illegible] rimit Iris aquas.
[illegible] memor ante-malorum
[illegible] eve tempus erat.
[illegible] altaria donis,
[illegible] dit ubique preces.
[illegible] ta sacra frequentant,
[illegible] ore Chorus.
[illegible] pulcherrima rerum,
[illegible] e struit.
[illegible] exempla parentum
[illegible] eritate licet.
Cham patrem irrisit nuda tellure jacentem,
Cum fuerant nimio membra soluta mero.
Insanam mundus conspirat tollere molem,
Vt suus æterno tempore duret honos.
Ac si fata sinant, rerum quę fręna gubernet,
Olim totius quę caput orbis erit.
At Pater omnipotens hęc impia facta perosus,
Inceptum ambigua voce diremit opus.
Vnus erat sermo cunctis, vox una per orbem,
Ac nulli alterius vox peregrina fuit.
At nunc insanis dum condunt molibus arcem,
Omnes consuetos dedidicere sonos.
Proque suis alios, cunctis mirantibus edunt,
Notaquę quę nuper, barbara verba vocant.

Tandem Deo i- bente egressi s-

Noah Deo pl- cuit.

Renovatur fœ- dus.

Tellus fructu- abunde profert

Arcus cælesti-

Novas insidia- struit Diabolu-

Cham patrem irridet.

Turrim Babel condere moliun- tur.

Linguæ confun- duntur.

Ab opere incępto desistunt.

Cessat ab officio structor, pro robore saxum
Porrigit, ac calcem, dum petit alter aquam,
Pro serra, funem, pro resti aut fune securim,
Pro clavo terebram, proque ligone rotam.
Omnia condendi contraria legibus ibant,
Nec dominus servum, nec capit alter herum,
Quid faciant? turrim fato cogente relinquunt,
Et quo quemque vocat sors animusque, migrant.
Et quibus una fuit tunc cognita lingua, coibant,
Et statuunt uno jura tenenda loco.
Hinc fit ut externis sileat regionibus ille,
Cui fuit in patria Lingua diserta sua.
Prima hinc regnorum, & populorum venit origo,
In gentes terram dissona Lingua secat.
Hinc odia & bellum, dum quos confinia jungunt,
Hostes inter se vox peregrina facit.

In varias regiones abeunt.

Variasque gentes, & regna constituunt.

FINIS.

Iulii 30. 1635.

Perlegi hoc opusculum metricum, in quo nihil invenio quò minus cum utilitate publica imprimi queat.

Guilielmus Haywood.

Ad Lectorem.

QVæris forsan amice Lector, cur poesin hanc non tam concludam, quàm abrumpam. In promptu responsio est: hæc Scholæ nondum apertæ satis esse videntur. Si eam aperuerit nobilis nostra Societas, ut ex orienti bene ominor, sic florenti gratulabor, si vitam prorogaverit Deus. Hæc etiam tentandis doctorum judiciis sufficiunt. Si hæc genium habere videbuntur, quæ possint vivere, plura, & forsan meliora dabimus, ut sunt δεύτεραι φροντίδες ἀμείνονες.

Si verò tam sacrum opus ingenii culpa deterere videbor, cedo, & cursu

trado

trado lampada. Hac spe tamen, fore u
hoc exemplo alii, quibus opportunit
melior, & vena ditior, per totam Scrip-
turam carmen, deducant: ut pueri
simul cum Lingua Latina
sacræ Historiæ seriem
à teneris imbi-
bant.

G. S.



